Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De vita Francisci Xaverii, qui primus e Societate Jesu in Indiam & Japoniam Evangelium invexit - Cod. Ettenheim-Münster 188

Torsellini, Orazio

[S.l.], nach 1607

Caput VI.

urn:nbn:de:bsz:31-115990

Visual Library

In Comorino promontorio elaborat
Cap. VI.

Comorinum promontorium

Comorinum promontorium pari ferè intervallo ab Indo et Gange dissitum ad æquinoctialem lineam procurrit, ab urbe Goa millia passuum ferè CCCC. Hinc velut ex cubito se flectit Indiæ extimum et ora Piscaria inter Orientem ac meridiem spectans, fermè CC. millia passuum Gangem usque porrigitur. Tota regio tam alimentorum inops quàm dives gemmarum. Quippe incolæ oryza, lacte, pisce, carne vivunt; pane, vino, pomis cæterisque eiusmodi rebus carent: et medicorum medicamentorumque usus vulgò apud eos nullus. Gentis quidem ingenia (sicut est captus barbarorum) satis sedata et quieta, cæterum admodum rudia & inculta sunt. Nec aliam

Æstus intolerabilis.

Indiæ regionem Sol magis exurit: ubi enim vapor ardentes arenas accendit, æstusque existit intolerabilis, quo cuncta velut igne torrentur. Hanc tamen tantam cæli solique intemperiem, pari ciborum medicamentorumque inopiâ junctam, invicta Xauerij virtus ultro subijt, qui maior scilicet animorum, quàm cæteri margaritarum. Enimvero pretium est operæ, quando incepi expositurus sum de immensis infinitisque

Labores Xauerij.

Xauerij laboribus, maximis ærumnis, omnium rerum inopia, in Comorinensi promontorio, cognoscere eos, qui vel modicis laboribus & incommodis perfuncti placent indulgentque sibi; perinde quasi Christi nomine malorum ultima perpessi. Nimirum vehementer nos nostri pudeat pigeatque, si nostros labores cum Francisco conferamus. In Comorinensi Christi vinea

Christi vinea laborante. Habitabantque longissimo
illo tractu piscatorum partim vicis, partim oppi-
dis ad XXX. Horum XX erant Christianorum,
in quibus præter XX neophytorum millia Chri-
stianis præceptis imbuenda, complures supere-
rant baptizandi vel infantes vel adulti: Iter
erat sæpe non magis incommodum ardore solis, quam in-
cendio arenæ fervido litore non tantum fallente, sed
etiam exurente vestigia. At Franciscus ad omnia
interritus, tam diram provinciam, majore etiam
animi robore sustinuit quam suscepit. Namque
unus multorum Sacerdotum animos ac vires
gerens, contempto solis ardore, continenter cir-
cum illius oræ maritimæ vicos & oppida pe-
dibus sæpe nudis (: utique post detritas usu
ocreas :) fervida arena cursare: infantes
ac pueros cæterosque quotidie ad Christi
fidem accedentes baptismo abluere: Idolorum
sacrificia miris artibus impedire: sponsos ac
sponsas ritè in matrimonio collocare: omnes
pro cujusque intelligentia, catechismo erudire:
dissidentes ad pacem revocare instituit, quam-
vis æstuans & sudore penè perpetuo fluens.
Nec verò suum ipse corpus in tantis laboribus
indulgenter habuit. Solenne illi fuit cubare
humi, gentis more oryza victitare, eaque exi- Oryzam sibi
gua, & scilicet male condita; utpote quam ipse coquit
sibi ipse in summis occupationibus coqueret.
Ad oryzam admodum rarò piscem aut lac plerum-
que acidum, à neophytis Ethnicisve ultro obla-
tum adhibebat. Multis etiam ac gravibus mo-
lestiis, quas peregrino homini locorum inso-
lentia, rerumque omnium inopia necessariò affe-
rebant, defungebatur. Et cætera quidem in-
comoda

commoda haud ferebat ægrè, sed patrij ipsorū
sermonis inscitia vehementer curā ejus intendebant.
Nāmque incolæ interrogati de rebus ad Christi reli-
gionem legémque pertinentibus, id modò respō-
debant, se esse Christianos; et quòd Lusitanæ lin-
Comorinē- guæ omnino rudes essent, Christianorum institu-
sium institutio ta ac præcepta cognoscere nequiuisse. Deduxerat
secum Franciscus alumnos Goani Collegij duos,
jam adultos, & Malauaricæ sermonis quo illa
gens utitur, Lusitanique non ignaros: sed
puerorum & idiotarum institutionem per inter-
pretes & tardam & minus efficacem expertus,
maluit eos magistros habere quàm interpretes.
adeò incensa erat cupido non celeritatis so-
lùm in docendo, sed etiam sedulitatis. Itaque ab ijs
quos diximus, Christianæ disciplinæ capita
in Malauaricam linguam celeriter vertenda cu-
rauit. Inde homo id ætatis in Christi gratiam
velut repuerascens, illa quamprimum ediscere;
mox tintinnabulo puerorum greges ac virorum
cogere, vicos obire: unum in locum coactis, illa,
quæ dixi, capita inculcare. Magistri ardor, discen-
di alacritatem discipulis attulit. Omnia, quæ
Comorinen- tradebantur, rudes pueri unius mensis spatio
sium puerorū memoriæ bellissimè commendarant; ut nec
ardor discen- Franciscum industriæ suæ, nec illos assiduitatis
di. poeniteret. Tanta porrò eos ceperat discendi
cupido, ut ab illo alias ex alijs precationes e-
discendas subinde flagitarent, adeò obstinatè, ut
penè odiosè interpellarent etiam diuini pensū
officij persoluentem. Neque finem ullum faciebant
instandi, donec illorum postulatis satisfacturū
se promitteret. Xauerius ergo, ubi initia ex
sententia succedere animaduertit, puerorum
emolumento minimè contentus, rationes inijt
inueniendi

inveniendi quam plurimos. Idea in studio latius pa
terat; pueris praecipit, ubi suos quisque parentes
cognatos, domesticos, vicinosque omnes paulatim
docerent eadem illa, quae ipsi in schola didicis
sent. Ita pueri è discipulis repentè doctores
facti rem Christianam haud sanè mediocriter
adjuverunt. Ubi verò Xaverius hisce adjutoribus
uteus quicquam de labore remisit suo. Diebus
dominicis in magno puerorum, mulierum ac viro
rum coetu, easque ab Symbolo Apostolorum, brevi
ter duodecim fidei capita ac praecepta decalogi
alia alio explicabat tempore. Audiebant attentè
ac diligenter, ob praesentibus non modo Christia
nis, sed Ethnicis; qui frequenter convenientes
demirantes Christianam legem adeò concon
taneam & congruentem esse rationi. Caeterùm
Xaverius haud ignarus in divinis rebus rectè tradendis
plus divinam vim valere, quàm humanam industriâ,
ad singula Symboli ac Decalogi capita ipse appo
to carmine praeibat; quo carmine opem separatim
à Christo, et à B. Maria peterent, ad illa ipsa sive
credenda, sive exequenda: illudque subinde pro
nunciabat, si illa quae tum peterent, de fide ac
lege Christiana servanda, à Deo impetrassent,
deinceps multo plura ac majora Divinitus ac
cepturos, quàm ipsi tanti auderent optare. Ea
dem autem operâ et neophytos instituebat, et
catechumenos: ad quos utique, quia magis
perictitabantur, plus etiam mira atque operae
derivabat. Tantus novo numero erat Christi
ana sacra capessentium (vicos enim totos sin
gulis diebus non semel expiabit) ut inter bap
tizandum, manibus brachiisque defatigatis, sae
pe languerat. Saepe etiam talium rerum incul
catio docentes frangebat adeò, ut vox pariter
viresque

Pueris utitur ad parentum & aliorum insti tutionem.

Christiana lex Ethnicorum judicio congruit rationi.

Totos pagos singulis diebus baptizat

Viribus labore in victa

qui Pisariae auctoritatem sequerentur, id sibi per
Regem suum fas esse omnes pariter abnuebant, non
tam vere quam obstinate superstitioni tenacissimi
obsequii titulum praetexentes. Incerto consilii Xa-
verio egregiam rei bene gerendae occasionem divi-
na providentia obtulit. Per id tempus ibi mu-
lier quaedam honesta tertium jam diem periclitabatur
difficultate partus; nihil illa desperatius. Jam suis
incassum Deorum aures frustra pro illius sa-
lute pulsatae conjugem eius cognatosque fatiga-
verant; cum Franciscus, re comperta, Deo fretus,
eo cum interprete accurrit (: spem aliquam opis
ostendens. Mox domesticorum permissu agere
cum illa, ut desperata corporis salute, animo
consuleret; et simul nostrae fidei capita brevi-
ter explicare coepit. Quibus mulier, diutius
fracta, cum assentiretur; percontatur ex ea Xa-
verius velletne fieri Christiana. Et libenter
quidem, inquit illa. Tum Franciscus, Evangelio
recitato, moribundam foeminam rite baptizat.
Mirum dictu: baptismus ita facilem illi partum
praestitit, ut protinus innoxia foetum effunderet;
Laetus eventu Franciscus primum modo natum
infantem, domesticos deinde omnes baptismo
lustrat, non minus miraculo attonitos, quam
laetitia gestientes. Factum tam nobile, tamq.
[illegible] celeriter (: ut fieri solet :) fama vul-
gavit. Xaverius ergo populi animos stupore
commotos urgendos ratus, pagi primoribus in-
stare, ut suscipere ne dubitarent religionem, cujus
documentum rerum tam evidens habuerant. Negare
illi primo id se Regis sui injussu esse facturos:
deinde potestate a Regis procuratore facta,
omnes fere, cum sua quisque familia, Christia-
nis initiati sacris. Primores baptizati ceteros
omnes sui exemplo imitarunt. Ita pagus uni-
versus ad Christi fidem accessit. Inde Franciscus

Punicale

Mulier periclitans difficultate partus baptismo liberatur.

Pagum universum baptizat